



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Commentariorvm, Ac Dispvationvm, In Tertiam Partem Divi Thomae. Tomi Qvinqve**

Qui Est Primvs De Sacramentis: In Qvo Ea Continentvr, Qvæ Post  
Præfationem Indicantvr

**Suárez, Francisco**

**[Köln], 1619**

4 Quam frequens vsus Eucharistiæ sit consulendus.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-93807](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-93807)

que approbante, pro diuersa temporum ratione fieri autem potuit, vt pro aliquo tempore consuetudo illa præceptum humanū induxerit, quod postea fuit immutatum, vt sentit Diuus Thomas, hic articulo. 10. ad 5. propter verba Anacleti, supra citata, quāquam non dicit fuisse præceptum communicandi in omnibus Missis, sed quotidie: ex quo potest nouum confici argumentum. Quia communicare sæpius eodem die nunquam fuit in Ecclesia vsitatum: audire autem plures Missas semper licuit. Ergo nõ est præceptum, vt omnes, qui Missam audiunt, in illa communicent: nec tale præceptum, etiam Ecclesiasticum, vtiquam fuit, sed ad summum communicandi quotidie, & ita etiam explicat hoc præceptum Durādus, in 4. distinctione 12. & significat Ruard. articulo. 15. Et ita potest exponi Chryostomus in principio citatus, quāquam multa ibi per exaggerationem, concionantiū more dicta esse videantur: omnia tamen eo tendunt, vt terreat, & reprehendat eos, qui in prauo statu sæpius ad Missas audiendas accedunt, non quia hoc per se & absolute malum sit, sed quia est periculosum & indecorum: vnde inter alia inquit: Hæc vt non temere communicetis, dico, sed vt vos dignos reddatis. Item reprehendit eos qui nunquam, vel rarissime, non vero eos, qui non semper communicabant, cum Missæ assisterent. Addo etiam, probabilissimum esse, illam consuetudinem nunquam obligasse omnes fideles ad communicandum quotidie, tum quia verba Anacleti potius sonant, referenda esse ad omnes, qui Missæ assident, sed ostensum est, consuetudinem nunquam ad hoc obligasse omnes fideles. Vnde Dionysius citato loco solum dicit, Sacerdos & ipse communicat & alios, vt communicent, hortatur: quo verbo satis indicat, non fuisse præceptum: tum etiam, quia multi graues auctoritates censent, verba Anacleti non esse intelligenda absolute de omnibus fidelibus, sed de clericis, qui Sacerdoti ministrabant, vt Alensis, 4. par. quaestione 51. membro 1. articulo. 2. Hosius in confell. capite 41. Turrianus libro 1. pro canon. Apostol. capite 22. & est satis consentaneum intentioni Anacleti, nam de his specialiter loquebatur in illa epistola prima, & cum dicit Apostolos sic statuisse, citat canon. 9. Apostolorum, qui sic habet, Si quis Episcopus, aut Presbyter, aut Diaconus, vel quilibet ex sacerdotali Catalogo, facta oblatione, non communicauerit, aut causam dicat, vt si rationalis fuerit veniam consequatur, aut si non dixerit, cõmuniõne priuetur. Vbi constat, sermonem esse tantum de clericis, & adhuc de illis non fuisse absolutum præceptum, sed vbi rationalis causa non interueniret, vt si aliquis eodem die iam communicasset, sufficientem causam haberet non communicandi iterum, quamuis possit iterum ministrare: & fortasse ob hanc causam præceptum erat in Concil. Altiandor. c. 19. Clericis, vt ieiuni ad ministerium altaris accederent: qui nimirum in Missis communicaturi erant: tamen hoc totum iam est consuetudine abrogatum. Alter aut canon Apostolorum ibi citatus reuera difficilis est: vnde Glossa in c. Omnes fideles, de Consecrat. distin. 1. exponit, esse intelligendum non de his, qui in eadem Missa non comunicant, sed de his qui temporibus statutis non comunicant: nam absolute est sermo de his, qui ingrediuntur Ecclesiam, & Scripturas audiunt: non autem perseuerant in oratione, nec sanctam communionem percipiunt, & in decretis collectis à Martino Bracha. in 83. sic expressius legitur, Si quis intrat Ecclesiam Dei, & sacras Scripturas audit (vel, non audit, vt habet alia lectio) & pro luxuria sua auertit se à communionem sacramenti, & in obseruandis mysteriis declinat constitutam regulam disciplinae, illum talē proijciendū de Ecclesia Catholica esse decernimus: Non ergo est ibi sermo de his, qui non comunicant in Missa, quam audiunt, sed de his, qui absolute se præbent communionem indignos, etiam legitimis temporibus. Quod in Antioch. Conc. c. 2. clarius sic dicitur.

Durādus.  
Ruardus.

Dionysius.

Alensis.  
Hosius.  
Turrianus.

Conc. Alsi.

Mar. Brach.

Conc. Antio.

Qui sanctam Eucharistiæ participationem propter aliquam insolentiam auerlantur: imo alia lectio sic habet, Auertantur etiam factam assumptionem Dominici sacramenti secundum aliquam propriam disciplinam. Quo verbo insinuat, fuisse aliquos, qui nolebant cum ceteris in oratione & sacramentis communicare, sed tantum in Scripturis audiendis, & contra eos editum esse canonem illum. Alia vero lectio illius canonis Apostolici sic habet. Quicumque fideles ingrediuntur, & Scripturas audiunt: in precatione autem, & sacra cõmuniõne non persistent, vt Ecclesiae cõfessionem afferentes segregari oportet. Vbi non est sermo de non comunicantibus, sed de his, qui non assuntur integro sacrificio vsq; ad consummationem.

Ad fundamenta in principio posita pro contraria sententia respondetur, modum obligationis huius præcepti diuini non esse sumendum ex nuda forma illorum verborum, Nisi manducaueritis: sed adiuncto vsu Ecclesiae, qui est optimus legum interpres, & cõsiderata etiã natura & materia alius præcepti, in qua re non sunt similia, quæ de Baptismo & Confessione ibi afferuntur: illa enim præcipiuntur solum vt media necessaria ad tollendam culpam, quæ vnico actū perfecte tollitur: baptisus etiã datur per modum generationis, quæ vna tantum est, & confessio per modum iudicij, & Deus non iudicat bis in idipsum: Eucharistiã vero ad nutritionem datur, quæ vno actu non pericitur. Ad confirmationem iam declarationem est, quomodo possint tempora obligationis huius præcepti designari, quia non in omnibus præceptis affirmatiuis spectanda est æqualis necessitas, vt eorum vigeat obligatio.

Ad vltimam confirmationem, negatur sequelã, nimirum, non posse Ecclesiam aliquem priuare iurisdictione in articulo mortis, quia in hoc ipso non violat prædictum ius diuinum, nam, licet homo obligetur iure diuino suscipere viaticum, tamen hoc ius non obligat Ecclesiam, vt semper det: potest ergo excusare negari, vel in pœnã, ad aliorum correctionem, vel ob maiorem sacramenti reuerentiam, sicut etiã tenetur homo sumere cibum ad conferendam vitam corporis, & tamen ex iusta causa potest illo priuari. Quamquam autem hoc ita sit, tamen regulariter non expedit, vt Ecclesiam tam graui censure & pœnã vtatur, potest enim esse animarum salutem valde nocua, & ideo reuocati sunt illi antiqui canones, vt Innocentius loco citato docuit: & in cap. Super eo, de hæreticis in 6. viaticum dari præcipitur hæreticis relapsis ante vltimum supplicium, si sufficientia signa fidei & pœnitentiæ deierint, & cap. Quæstus, 11. quaest. 2. idem seruandum præcipitur cum alijs, qui propter alia delicta morte plectuntur: & idem nuper præcepit Pius V. motu proprio edito anno 1569. qui in Hispania receptus est, & lege regia idem est confirmatum: quia reuera prior consuetudo nulla sufficienter ratione fundabatur.

#### SECTIO IV.

Quam frequens vsus Eucharistiæ licitus sit, & consulendus.

Explicuimus hætenus, quæ frequentia, vt minimum necessaria sit ex præcepto diuino in vsu Eucharistiæ. Superest explicandum, an aliqua etiam frequentia sit nimia, & iure diuino, vel animarum salutem contraria, & consequenter, quæ sit licita, & consulenda.

Dico primo, Nullus Eucharistiæ vsus propter solam frequentiam videtur iure diuino prohibitus. Probat, quia frequentissimus vsus videtur quotidianus, & tñ hic nec diuino, nec Ecclesiastico iure prohibitus est, vt per se patet, tñ quia nulli ibi est talis prohibitio, & Christus absolute dixit, Hoc facite, vel Quotiescunq; manducabitis panem hunc: tñ etiam, quia olim fideles quotidie comunicabant, vt insinuat,

*Autor.* nuatur, & or. 2. verbis illis: Erant perseverantes in doctrina Apostolorum, & orationibus, & communicatione fractionis panis: id est Eucharistia, ut omnes exponunt: qui etiam intelligunt, communionem fuisse quotidianam, sicut orationem & doctrinam. Hoc etiam ostendit consuetudo, de qua in precedente sectione dicebamus, & communicandi in Missa, quam singuli fideles audiebant: nam inde fit, sicut vsu audiendi Missam quotidianus est, & ita communicandi fuisse, quod etiam constat ex Hieron. epist. 28. ad Lucinum, ubi servatam dicit eam consuetudinem in Ecclesia Romana, eamque laudat Basil. in epistola ad Casariam Patritiam; quamvis etiam dicat sufficere quater in hebdomada communicare, & festis diebus Colligitur etiam ex Tertull. libr. 2. ad uxorem cap. 5. in illis verbis: Non sciet maritus, quid secreto ante omnem cibum gustat, & si sicut panem, non illum credit esse, qui dicitur. August. eiusdem consuetudinis meminit li. 2. de ser. Domini in monte, c. 21. & ser. 27. de verbis Domini, & epist. 121. ad Probam, ubi in verbis Domini orationis: Panem nostrum quotidianum: Eucharistiam intelligit, & sumptit ex Cypri. in eiusdem orationis expositione, qui addit non parum esse detrimenti, a quotidiana communione abstinere, vel ex Ambrosio lib. 5. de sacram. cap. 4. dicente: Si quotidianus est panis cur post annum illum sumis: quotidie accipe, ut quotidie tibi proficit: sic viue, ut quotidie merearis accipere. De eadem re late scribit Chrysostomus. 17. & 61. ad populum, ubi praefertim reprehendit eos, qui per annum differunt communionem. Epiphanius vero in compendio doctrinae solum refert consuetudinem communicandi feria quarta, Sabbato, & Dominica. significat vero hanc frequentiam fuisse praecipuam, maiorem tamen prohibitam. Iustinus vero Apolog. 2. tantum indicat, communem totius populi consuetudinem fuisse singulis diebus Dominicis communicare. Tandem Ignatius epist. ad Ephes. indefinite consulti: Date operam, ut frequentius congregemini ad Eucharistiam.

*Epiph.* Dices, saltem esse iure diuino prohibitum saepius eodem die communicare. Respondetur, hanc prohibitionem ex iure humano colligi, ut constat ex Diuo Thoma, in 4. distinct. 12. Paludanus. Durand. & alij, & Ateni. 4. par. quaest. 52. membro 3. Gabriel. lect. 87. in Canonem, scilicet, ex capite, Consulti, de celebratione Missae, & cap. Sufficit, de consecrat. distinct. 1. in quibus de sacerdotibus sacrificantibus sermo est, & inde sumitur argumentum ad laicos communicantes, quam collectionem vsus Ecclesiae approbavit, & praecipuo confirmavit: praecipue ob reuerentiam tanti sacramenti, ne scilicet, ob nimiam frequentiam vilescat, & Diuus Thomas addit mysticam congruentiam, scilicet, ut saltem per vnicam vnius diei communionem vnitas & sufficientia passionis Christi praesententur. At vero, stando in solo iure diuino, nulla est talis prohibitio, quia nec scripta est, nec tradita, nec sola ratione probari potest, & ex eisdem iuribus potest sumi proportionale argumentum: quia saepius eodem die sacrificare, non est prohibitum iure diuino: Ergo nec communicare. Vnde, sicut Papa dispensat interdum, ut aliquis eodem die saepius sacrificet, ita potest dispensare in iterata communionem extra sacrificium: Non est ergo prohibitum iure diuino. Dices, ergo nec singulis horis communicare, vel etiam saepius eadem hora. Respondetur verum esse, de tota hac re, positio iure diuino nihil declaratum esse, sed prudentia, quam ius ipsum naturale dicitur, relinquit, quae dicitur, ea cauenda esse, quae contemptum, vel irrisionem sacramenti parere possunt, & ideo Ecclesiastica prouidentia in his modum & ordinem adhibuit.

*Epiph.* Quae autem obiter potest, an in aliquo casu possit nunc aliquis bis in die communicare extra sacrificium

cium (de quo postea dicemus) non obstante Ecclesiae prohibitione? Syluester, verbo Missa. 1. quaestione 7. negat vnquam licere. Sed accipiendus est casus, in quo, ad impediendam iniuriam huius sacramenti, vel irreuerentiam, id sit necessarium, ut verbi gratia, ne in manus haereticorum veniat, vel ne comburatur, aut in similibus: quemadmodum in superioribus de ieiunio diximus: ratio enim eadem est: nam quod propter reuerentiam sacramenti introductum est, non debet ita obseruari, ut in illius iniuriam, vel irreuerentiam villo modo cedat: & ita merito sentit Angelus, ver. Eucharistia. 3. nu. 39. & Summita frequentius, & Paludanus supra.

*Angeli.*  
*Palud.*

Tandem inquiri potest quomodo computandus sit dies, intra quem non licet bis communicare? Respondetur, a media nocte in mediam noctem esse computandum, eodem modo, quo supra dictum est de ieiunio, propter eandem causam & propter Ecclesiae vsum, qui hoc satis declarat: sicut enim datur communicatio statim post mediam noctem, etiam si homo ante paucas horas aliquid comedisset, ita etiam dari potest, etiam si communicasset. Est enim aduertendum, seruato ieiunio, & secluso scandalo, ac per se loquendo, in qualibet hora diei, posse hominem communicare, quia, licet frequentius soleat communicatio dari vsque ad meridiem, quia illud est tempus opportunius: tamen nulla est lex, quae ad hoc obliget nec consuetudo hactenus ita introducta est, ut praecipuum induxerit, quod notant Angelus supra, & Syluester, verb. Eucharistia. tertia quaestione, decima quarta.

*Angeli.*  
*Syluest.*

Dico secundo generatim loquendo, consultius est frequentius communicare, quam rarius: magisque est in frequentiam, quam in raritatem inclinandum considerando actum ipsum absolute: seu ex suo genere. Haec est communis sententia Theologorum, D. Thom. hic. & in 4. distinctioe 12. quaest. 2. articulo 1. quaestiuacula 2. ubi etiam Bonauentura. Richard. Palud. & Gabr. ibi, & lectio. 87. in Canon. Adri. Gabr. quaestione 3. de Eucharistia. Petrus Sot. lectio. 9. de Eucharistia. Et sumitur ex Concil. Trident. sessione 13. capitul. 8. ubi ad frequentiam hortatur. & sessione 22. cap. 6. Oportet Sancta Synodus, ut in singulis Missis fideles adstantes communicarent: atque ad idem conferunt dicta Sanctorum Patrum citata praecedente conclusione: quibus addendus est Cyrillus. 13. in Io. capitul. 37. & libr. 4. capitul. 17. ubi inter alia notat, solam dilationem per se non conferre ad meliorem dispositionem: & regulariter contingere, ut, qui tarde accedunt, minus dispositi sint, quam qui frequentius: Chrysostomus. item multa de hac re scribit homil. 28. in 1. ad Corinth. & inter alia dicit: semper esse tempus accedendi, si semper conscientia sit pura. Idem homil. 1. ad Timoth. & orat. de sancto Philogonio. Augustinus etiam epistola 119. non praefert eum qui ex reuerentia abstinet, ei qui ex deuotione quotidie communicat: & de Eccles. dogmat. capit. 53. nec laudat, nec vituperat eum, qui quotidie communicat. Ambrosio. vero 4. de sacrament. capitul. 6. hoc etiam consulti, & similia multa sumi possunt ex Bernard. in sermone de cen. Domini, nonnulla ex Hieronymo. apologia pro libris contra Iovin. & Gregor. homil. 22. in Euangel. Innocent. libr. 4. de hoc myster. capitul. 42. Rationes etiam sunt perspicuae. Prima, quia communicare digne per se bonum est: abstinere vero solum est bonum per accidens, vel ex defectu dispositionis, vel ut homo ad reuerentiam excitetur: sed bonum per se praefendum ex genere suo est bonum per accidens. Secundo, quia frequentius accedere est ex propensione charitatis: differre autem, aut est ex negligentia, aut ex timore: sed per se loquendo melius est ex charitate operari, quam ex timore; ergo Tertio, quia, qui communicat, ceteris paribus,

*Concluf.*  
*D. Thom.*  
*Bona.*  
*Richard.*  
*Palud.*  
*Gabr.*  
*Adrian.*  
*Ve. Soto.*  
*Cons. Tri.*  
*Cyrril. Ale.*  
*Angust.*  
*Ambros.*  
*Chryf.*  
*EXCE*

excedit alium in fructu sacramenti ex opere operato potest autem facile in aliis esse æqualitas, quia voluntas communicandi digne, ex se non est minus bona & meritoria, quam affectus abstinendi etiam ex reuerentia: ergo ex suo genere illud est eligibilis. Quarto quia, si propter aliquid est interdum probanda abstinencia huius cibi, maxime propter conferuandam, vel concipiendam reuerentiam seu deuotionem, sed ad hoc ipsum non minus iuuat ipse frequens vsus, si prudenter fiat, & mediocri diligentia adhibita: nam & bona consuetudo iuuat ad similes actus melius exercendos, & efficacia etiam sacramenti multum confert: ergo, simpliciter & generatim loquendo: fauendum est potius frequentia, quam dilationi.

3. Concisf.

Dico tertio, In particulari non potest vna regula daci de frequentia, quæ omnib. expediat, sed pro dignitate statuum & morum id est prudenti arbitrio definiendum. Hæc conclusio tam per se nota est, vt non indigeat probatione. Vt tamen in re morali rationem aliquam insinuemus ad ferendum prudens iudicium, videtur sane raro esse alicui consulendum, vt ordinaria consuetudine frequentius, quam octauo quoque die communicet. Ita significant Doctores citati: & ita sentiunt prudentes & experti viri in hac materia, & communis vsus Ecclesiæ non parum fauet. Ratio autem est, quia hoc modo, & iuuenienter subuenitur fructui animarum: & ratio etiam habetur reuerentiæ debitæ sacramento: nam regulariter loquendo tot sunt humanæ vitæ negotia, & impedimenta, quæ & animum distrahunt, & tempus occupant, vt non possint homines frequentius accedere, cum debita dispositione: nec tantum temporis huic actioni dare, quantum par esset: hoc tamen semel in hebdomada præstare regulariter non est difficile: imò hinc sapere conuenit, vt vna communio facta opportuno tempore cum maiori fiat fructu, quam plures sine debita præparatione & gratiarum actione. Aduertit autem Bernardus supra, non esse omitendam huiusmodi frequentiam propter sola peccata venialia: neque quia homo minorem feruorem deuotionis & charitatis in se sentire videatur: quia non est exiguus huius sacramenti fructus: quòd in magnis peccatis impedit consensum, & in minimis sensum minuit. Vnde Bonau. libr. de processu religionis processu. 7. c. 21. sic inquit: Licet tepide, accedas iudicialiter, confidens de misericordia Dei, quia quo magis æger, magis indiget medico: & iuxta hoc dictum, sunt exponenda verba quæ ex Hilario referuntur de consecratione distinct. 2. c. Si non sunt tanta peccata, vt excommunicetur quis, non se debet à medicina corporis & sanguinis Dñi separare: id est, si non sunt mortaliter, vel si sunt, si iam est præmissa eorum confessio: reperuntur aut illa verba apud August. epist. 118. & Beda. 1. ad Cor. 11. Non est autem negandum interdum posse huiusmodi frequentiam differri, ppter aliquam occasionem similem ad conciliandam maiorem reuerentiam: id tamè potius esse debet rarum & extra ordinarium, quam frequens: nec tanta debet esse dilatio: vt plus nocere possit, quam prodesse: ne forte alicui contingat illud Psal. 101. Percussus sum vt scenum & aruit cor meum, quia oblitus sum comedere panem meum. Deniq; ita est hæc doctrina accipienda, vt non intelligatur, omnibus hominibus omnibusq; statibus vniformiter applicanda: nam continentibus frequentius conuenire potest, q̄ coniugatis: & religiosis, q̄ laicis: solum ergo assignamus regulam, quæ facilius potest fere in omnibus obseruari, qui timoratam conscientiam habent, reliqua prudentiæ confessorum, & pastorum relinquenda sunt.

D. Bern.

D. Bonau.

Hilar.

August. Beda.

DISPVATIO LXX.

De præcepto Ecclesiastico circa vsum Eucharistiæ.



Missa quæstione, an sit hoc præceptum: quæ in præsentem per se nota est, eadem fere occurrunt de hoc præcepto declaranda, quæ de diuino. Supponenda vero sunt verba legis latæ in ca. Omnis vtriusq; sexus, de poenitent. & remis. quæ sunt fundamentum huius disput. Omnis (dicitur) vtriusque sexus fidelis, postq̄ ad annos discretionis peruenerit, semel saltem in anno confiteatur, suscipiens reuerenter ad minus in Pascha, Eucharistiæ sacramentum, nisi forte de proprij Sacerdotis concilio ob aliquam rationabilem causam ad tempus ab huiusmodi perceptione duxerit abstinendum, alioqui & viuens ab Ecclesiæ ingressu arceatur, & moriens Ecclesiastica careat sepultura.

SECTIO I.

Quas personas obliget hoc præceptum.

Dico primo, solum obligare fideles baptizatos. Hoc constat primo ex verbis ipsius legis, nomine enim fidelium intelliguntur illi, qui fidem Christi & Ecclesiæ professi sunt per baptismum. Item, quia solum illi obligantur ea lege, qui possunt obligari ad confessionem, quando ea indigent: soli autem baptizati possunt obligari ad confessionem. Tandem hoc præceptum est pure Ecclesiasticum: sed potestas Ecclesiastica solum est super baptizatos. nam, de his, qui foris sunt, nihil ad nos, ait Paulus. 1. ad Cor. 5.

Dico secundo, Hoc præceptum obligat omnes & solos fideles adultos. Patet ex verbis legis. Item, quia soli adulti sunt capaces proprij præcepti & obligationis: omnes autem illi indigebat hac Ecclesiastica determinatione præcepti diuini. Vnde nullus, cuiuscumque status existat, siue sit clericus, siue laicus, siue religiofus, siue sæcularis, ab huius præcepti obligatione eximitur. Solum de Summo Pontifice dubitari potest, an hoc præcepto obligetur: sed quia dubium hoc in hac speciali materia non potest moraliter ad praxim reuocari, & quia in eadem forma tractatur ab omnibus circa eandem legem in materia de confessione illud differemus eo vsque.

Sed explicandum superest, quando incipiat homo hoc præcepto obligari. De qua re multa scribunt Theologi in 4. distinctione 9. D. Thom. quæstione 1. D. Thom. articulo 5. quæstionum 4. Maior quæstione 2. Caetera, hic, articulo 9. Soto articulo 11. Nauarr. in Sum. cap. 2. numero 58. Summisit, verbo, Eucharistiæ, & verbo Communio. Qui omnes in primis notant: quamuis verba huius legis generatim loquantur de hominibus, postquam ad annos discretionis peruenerint, simulque obligationem continentis & communicandi coniungant: nihilominus non statim, a homo habet vsum rationis, quo sit capax peccati mortalis, & obligationis continentis, non statim (inquam) obligari hac lege Paschalis communionis, sed per aliquod tempus, vel etiam per aliquot annos posse ad continentium, priusquam ad communicandum, obligatum quia verba legis sunt accommodatae intelligentia, iuxta genus materiæ; est autem magnum discrimen inter vtrumque sacramentum: confessionis enim sacramentum magis necessarium est, & ex hac parte est anticipandum: Eucharistiæ vero est longe dignius & ideo ad illius vsum maturior ætas expectanda est, vt possit suscipiens conueniente deuotione accedere, & grauiori iudicio inter hunc & alios communes cibos discernere: tum etiam, quia in ipsiusmet verbis legis implicite hæc differentia insinuat: nam confessio absolute percipitur: cõmuniõ vero cum quodam ordine ad prudens iudiciũ confessoris: omnes autem prudentes confessores iudicant expedire plus communionem, quam confessionem differri. Vnde communitiam vsu Ecclesiæ ita hæc lex declarat, quidquid Palud. sentiat. 4. d. 10. q. 1. num. 25. Deinde

Digi 11 de Eucharistia

Solus fideles

liquis non

D. Thom. articulo 5. quæstionum 4. Maior quæstione 2. Caetera, hic, articulo 9. Soto articulo 11. Nauarr. in Sum. cap. 2. numero 58. Summisit, verbo, Eucharistiæ, & verbo Communio.

Nauarr. Corda. Solus